



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petrus Cnapeus Sev Fvlllo In Thoma VVegeino,
Lvtherano Theopaschita Redivivvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1609

§. 3. Sensus Trisagij

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)

Acciderunt miranda hæc secundum chronologiam Baronij Anno Christi CCCCXLVI. Theodosij Iunioris Anno XXXIX. quamvis Cedrenus & Paulus Diaconus ad Annum XXX. Imperij Theodosij referant: alij ad Annum XXXVII. Idem traditur in Menologio Græcorum 25. die Septembris, quo die Græci Anniuersariam memoriam agunt orbis ab hoc terramotu liberati & pueri in sublime sublatis, & Trisagij è celo missi. Idem plurimi alij Græcorum & Latinorum scriptum reliquerunt. Quamvis quorundam narratio indicare videtur, Trisagium fuisse hoc terramotu vetustiore, & puerum è sublimi reducem non ipsum Trisagium attulisse, sed tantum monuisse; ne caneretur cum impia illa Theopaschitarum appendice; Qui crucifixus es pro nobis, ut postea liquebit, quando nonnullorum verba verbatim exscribimus.

§. 3. Sensus Trisagij

SANCTVS DEVS, refertur ad Patrem. **SANCTVS FORTIS** ad filium. **SANCTVS IMMORTALIS**, ad Spiritum sanctum, ut explicat Damascenus in libro de Trisagio, contra Anastasium Abbatem Monasterij S. Euthymij, qui Trisagium ad solum filium referebat magno Damasceni gemitu, qui sub finem libri ista: Rogetur illustris pater noster ac Dominus, Abbas Anastasius, pij Monasterij, diuini Patris nostri Euthymij Antistes, ut eiusmodi contentioni finem imponat, ac nobiscum diuino afflatu correptorum patrum vestigiis hærens; **SANCTVS DEVS** ac Pater, dicat; **SANCTVS FORTIS**, Filius Dei incarnatus, & carne, nostræ salutis causa, cruci affixus; **SANCTVS IMMORTALIS**, Spiritus sanctus, vnus Dominus Sabaoth, miserere nobis.

Idem

Idem Damascenus lib. 3. de fide cap. 10 Nos illud; S A N-
CTVS DEVS, de Patre accipimus: non, quod ipsi soli
diuinitatis nomē assignemus. Nam, & Filium DEVM,
& Spiritum sanctum agnoscimus. Itidem illud; sanctus
fortis, Filio tribuimus: non quod Patrem, & Spiritum
sanctum robore spoliemus. Ac denique illud, sanctus
immortalis, Spiritui sancto adscribimus: non quod hac
ratione Patrem, & Filium ab immortalitate excluda-
mus, sed, quod in vnaquaque persona omnia diuinita-
tis vocabula simpliciter, & absolutè sumamus, &c.

*S. 4. Additio Petri Cnaphei seu Fullonis
ad Trisagium.*

Nicephorus lib. 15. cap. 28, Petrus Cnapheus seu Fullo
tumultus Antiochiæ non minimos excitauit, res ple-
rasque apud plebem per confusionē miscens, & insolita
quædam aduersus fidem inducens; quodq; maximum
est, omneseos, qui Deum crucifixum, & passum esse
non crederent, anathematis fulmine iaciens Atq; , vbi
opinionem suam confirmauit, ter sancto illi hymno ac-
cessionem istam, *qui crucifixus es pro nobis*, tandem adie-
cit. Quæ verba ad hunc vsque diem apud Theopatchi-
tas obtinent. Quibusdam etiam hominibus ex Apolli-
naris partibus sibi ascitis, multa aduersus Martyrium
Episcopum molitus est, & populum per varia disidia
in partes plures diduxit *Et postquam Nicephorus exposuit;*
quomodo Martyrius legitimus Episcopus Episcopatu Antio-
cheno cesserit; hæc subiungit. Hæc vbi ille (*Martyrius*) di-
xit & secessit, Cnapheus in Antiochenum thronum
insiliit, Chalcedonensem synodum plurimum prosci-
dit, atque omnes accessionem illam ter sancti hymni
vsurpare coëgit.

B ; *Idem*